Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quando undeq; beatissimorum martirum Senesii atq; theopontii corpora adnouantulense deuecta cenobium ducta fuerint. et que signa atq; miracula eos sint secuta prout nostra ualet fragilitas ad hominum reuocemus memoriam.

Passio Senesii et Theopontii martirum

ANNO igitur incarnationis xpi septingesimo octuagesimo imperii uero karoli magni septimo. quidam dux uir deo promia deditus nomine Geuardus. sue saluti consulens pro anime sue remedio quandam ecclesiam adhonorem et uenerationem beatissime uirginis marie matris dei. sceq; crucis atq; martiris fusce insuo proprio magno cum studio edificauerat. et sancti siluestri cenobio nonantulensi subdiderat. ibiq; monachos ut regulariter deo seruirent constituere curauerat. cui omnia que possederat puro atq; sincero animo tradere studuerat. sui saluatoris preceptum bene et fideliter sequens ut eius fieret discipulus. qui suis dixit fidelibus; Siquis non renunciauerit omnibus que possidet. non potest meus esse discipulus. Tricessimo autem quarto anno. imperii eiusdem karoli prefati comitis uxor albegunda nomine uiri sui magnifici uestigia tenens insua uiduitate sanctissima quicquid habere uisum fuerat eidem monasterio tradere studuit. cui diu uixit caste et fideliter seruiuit. ibiq; cum suo coniuge indomino requieuit. Hec autem ecclesia quam prediximus sita est inquadam insula duobus; fluminibus; cammano et sylo circumdata. tercia stadii parte aburbe teruisio distans. Inqua ecclesia beatissimorum Senesii et Theopontii corpora asanctis uiris fuerunt recondita ibiq; innumerabilia miracula exprimente gratia dei nostri clementia ostendere dignata fuerat. Post multorum uero annorum curricula gens hunorum perfida seruientibus deo inuida plurimas italie deuastans prouincias huc sanctissimum locum peccatis ingruentibus; funditus destruxit. Cuius doloris fama percurrens adnonantulam uero sanctissimi Syluestri corpus requieuit. sub cuius potestate et fiducia post deum hoc monasterium semper fuerat petro uenerabili eiusdem loci abbati hoc magnum nefas denunciauit. Abbas uero tali legatione mestus. tamen dedi misericordia bene confisus cunctorum fratrum cetu aduocato dignum et salubre inuenit consilium. Suum itaq; aduocans alumnum deo dignum monachum nomine Rudolfum. cui tres uenerabiles sociauit fratres. et magna cum festinatione adhuc recuperandum locum transmisit. cui et attentissime iussit ut cum omni sollicitudine atq; ueneratione dignissima sanctorum senesii et theopontii corpora colligere studeret. atq; omni cum festinatione adnonantulanum cenobium ea inuenta deferret. Hoc autem onus obedientie magno cum gaudio suscipiens. prout deo placuit totum fideliter adimpleuit. Cum uero idem prepositus uenerabilis uidelicet Rudolfus adhuc sanctissimum locum uenisset; et eum undiq; dirutum repperisset; flens et dolens pre nimia tristicia per tres dies nichil locutus est. neq; ullum omnino cibum sumpsit. Ad quem ita flentem quedam mulier dei ancilla anserada nomine que sua abinfancia predictorum sanctissima corpora multum dilexerat et custodierat. tunc quoq; eadem in secreta loco collecta et recondita habebat cum tremore et timore ueniens. omnis tristicie nebulas auferens magni gaudii donum secum detulit. senior inquiens dilecte noli flere sed magis mecum gaude. et thesaurum quem queris dei disponente gratia aput me esse bene conditum absq; ulla prorsus dubietate cognosce. Hoc autem audito letus et gaudens factus. mentis caliginem qua pre mesticia hebetatus fuerat deponens digneq; sapientie lumen sumens. predicta dei famula ducente adlocum ubi tanti thesauri munus iacebat cum omni festinatione deuenit. ibiq; prostratus diu inoratione astans. multas lacrimas addominum omnipotentem merencium consolatorem pregaudio fudit. Vt autem aboratione surrexit statim ad suos uenerabiles fratres rediit. et gaudium quod inuenerat eis nunciando aperuit. Mox uero letantes uno et salubri consilio atq; animo spontaneo triduanum ieiunium. et orationes nullis cogentibus peregerunt. His digne peractis sancta preparatione adlocum optatum una uenerunt. et orando atq; misericordiam deo omnipotenti et his sanctis querendo locum illum aperuerunt. atq; eorum corpora cum omni ueneratione suscipientes dignis ornamenta inuoluta noctu et clam cunctis atq; nesciente predicta dei famula cum omni festinatione ad flumen quod uocatur sylum uenerunt. et intrantes nauem nauigare ceperunt

B. xi. K. iiij